Lettre

Du Roy Charles

Par Laquelle il Confirme La permission acordée par Le Duc d'Anjou son Fils aux Habitans de Condom de se servir de Monoye frapée au Coin du Prince de Galles autre fois possesseur de la Ville.

En Xbre 1397.

Carolus Dei Gratia Francorum Rex notum facimus universis præsentibus pariter et futuris nos Litteras defuncti patrui nostri Ducis Andegavensis Comitis Cenomanensis et Locum Tenentis Domini Genitoris nostri in

partibus occitanis vidime formam quæ sequitur continentes.

Ludovicus Regis quondam Francorum filius Domini nostri Germanus, ejusque locum tenens in partibus occitaniæ, Dux Andegavensis et Comes Cenomanensis universis tam præsentibus quam futuris salutem.

Gravem querelam consulum Condomii recepimus continentem quod cum tempore quo erant de obedientia principis Wallarum in civitate Condomii utebantur et mercabantur monetæ et pecuniæ factæ nomine et signo dicti principis et adhuc habent ut cum non habeant abundantiam monetæ seu alterius pecuniæ sub signo dicti Domini Regis Francorum cum

qua possim uti seu mercari in eodem, cum adhuc non sint sex menses elapsi quod ipsi sunt sub obedientia Domini nostri prædicti, et nonnulli Officiales dicti Domini nostri fecerint certas proclamationes in dicta Civitate, in quibus continebatur quod nullus esset ausus uti illis monetis, et hoc sub certis pœnis applicandis dicto Domino nostro Regi, quod est impossibile gentibus fieri, quia cum sit ibi copia illius monetæ factæ sub nomine dicti Principis Wallarum et non habeant aliquam aliam pecuniam cum qua possint emere Victualia et sic possent Gentes perire fame.

Igitur supplicarunt nobis dicti Consules super præmissis eis providere de remedio opportuno, nosque eorum supplicationibus

favorabiliter inclinati eisdem concedimus licentiam et autoritatem utendi illis monetis dicti Principis donec et quousque predictum Dominum nostrum Regem fuerit aliter ordinatum.

Et si quis illorum Consulum vel aliquis Civis vel singularis dictae Civitatis inciderit in poenis praedictis juxta praedictarum ordinationum proclamationem eisdem omnem poenam tam Civilem quam criminalem si quam incurrerint erga dictum Dominum nostrum Regem vel incurrere potuerint remittimus et quittamus de nostra Scientia certa speciali gratia et autoritate Regia, qua fruimur in hac parte, ipsosque restituimus ad eorum patriam res et bona ac eorum bonam famam

Quocirca Senescallo Agenensi Caeterisque Justitiariis et Officiariis Commissariis Reformatoribus Regiis qui nunc sunt vel pro tempore fuerint praecipimus et Mandamus districte injungendo ut dictos Consules seu aliquos ex Consulares dicti loci citent vexent in Corpore sive bonis occasione praemissorum Procuratori Regio et aliis quorum interest silentium perpetuum imponentes.

Item Supplicarunt nobis quod cum Senescallus et alii Officiales ex Capitaneus et Capitanei dum veniunt in Civitatem Condomii Compellant ipsos Singulares et Consules ad praestandum hospitia, et ut eis provideatur de Suppellectilibus ad expensas proprias &a.

Quod ut firmum et stabile perpetuum perseueret in futurum praesentes litteras sigilli nostri magni munimine fecimus roborari, saluo in aliis jure Regio et in omnibus quolibet alieno.

Datum et actum Tholosae anno Domini 1369., mense nouembris.

Quas quidem litteras et contenta in eis si et in quantum rite et legitime facta fuerunt ac eisdem pacifiĕ vsi sunt eas et ea volumus approbamus, tenoreq. praesentium confirmamus.

Senescallo Agenni Caeterisque Justitiariis dictae Senescalliae vel eorum locatenentibus et cuilibet

ipsorum prout ad eum pertinuerit. Mandamus quatenus privilegiis gratia que et Concessione in præinsertis Litteris Contentis uti et gaudere pacifice faciant nihil in Contrarium faciendo aut a quocumque fieri permittendo.

Quod ut firmum et Stabile perpetuo perseueret in futurum nostrum præsentibus Litteris fecimus apponi Sigillum Saluo in aliis Jure nostro, et in omnibus quolibet alieno.

Datum Parisius mense Decembris Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo Septimo, et Regni nostri Decimo.

Per Regem ad relationem Consilii N. de Voisines.

Collatio ſit Cum Litteris Originalibus ſupra Scriptis.